

Johann Heinrich Becker

**Monimentvm Honoris, Et Memoriae, Qvod Matronae Praenobilissimae ... Dominae  
Christinae Elisabeth Spaldingiae, Conivgis, Vel Post Mortem, Dilectissimae Viri ...  
Domini M. Io. Georgii Lvgeri, Pastoris, Apvd Gvstrovienses ... Nvnc Vidvi  
Moestissimi, Desideratissimae Vxori Honestissimas, Gvstroviae, Exeqvias, Die  
VII. Janvar. A. O. R. M D CCXLVI. Ritv Christiano Parantis, Hoc Fvnerali  
Programmate, Rogatvs Posvit**

Rostochii: Typis Ioh. Iac. Adleri, [1746]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1797787659>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Protokoll-Programme,  
meist Festsätze in dazujen bürgerl. Familien btes.

(Zinsin u. d. in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann  
u. Or. ]

82 Stücke

Mk1b Gen - 40  
2/3 II

9/1  
Hain.  
1833.





1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30

Leichenprogramme, alphabetisch geordnet  
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.


L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Paulsen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoeppfer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.  
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.  
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.  
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
72. Weiß, Gottfried. 1697.  
73. Wetken, Johann Georg. 1716.  
74. Wilde, Joachim. 1737.  
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.  
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.  
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.  
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.  
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.  
81. Zaidler, Johannes. 1727.  
82. Zinck, Johannes. 1732.





MONIMENTVM  
 HONORIS, ET MEMORIAE,  
 MATRONAE <sup>QVOD</sup> PRAENOBILISSIMAE  
 ET  
 VIRTVTIBVS SVI SEXVS ORNATISSIMAE,  
 DOMINAE  
**CHRISTINAE**  
**ELISABETH**  
**SPALDINGIAE,**

CONIVGIS, VEL POST MORTEM, DILECTISSIMAE  
 VIRI  
 PLVRIMVM REVERENDI, AMPLISSIMI,  
 ATQVE DOCTISSIMI,  
 DOMINI

**M. IO. GEORGII LVGERI,**

PASTORIS, APVD GVSTROVIENSES, AD PAROCHIALE TEM-  
 PLVM, SENIORIS, PER COMPLVRES ANNOS MERITISSIMI, NVNC  
 VIDVI MOESTISSIMI,

DESIDERATISSIMAE VXORI  
 HONESTISSIMAS, GVSTROVIAE, EXEQVIAS;

DIE VII. JANVAR. A. O. R. CIO IO CCXLVI.

RITV CHRISTIANO PARANTIS,

HOC FVNERALI PROGRAMMATE,  
 ROGATVS POSVIT

**IOAN. HENRICVS BECKER,**

PHIL. ET S. S. THEOL. DOCT. HVIVSQUE PROF. P. O. AD DIV.  
 NICOLAI ECCLESIASTES,  
 ACADEMIAE PATRIAE HODIE RECTOR.

R O S T O C H I I,

Typis IOH. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typographi.



**I**nterimistica ( liceat hac voce uti ) omnino huius vitae est, neququam stabili-  
bilis & perpetua, conditio. *Hebr. XIII. 14. 2 Cor. IV. 8.* Incerta sunt e-  
ius bona, caduca eius est felicitas, duratio breuis, *2 Cor. IV. 18* Fugi-  
unt, & praeterlabuntur, amne velocius, nostri dies, annique. *Pf. XC. 10.*  
moxque in pulverem, unde fumus orti, reuertimur ipsi. *Gen. III. 19.* *Quid tam*  
*circumcisum, tam breue, quam hominis vita longissima?* cum *PLINIO* quaero. Quae  
nos circumstant, dum suas patiuntur vicissitudines, nobiscum sunt conditionis  
eiusdem: Vbi vix opinamur, deserunt nos, nisi nos deserimus illa. Qui in ho-  
spitio degunt, rebus ibi obuiis vtuntur, non, nisi *interim*: Non putant, esse fi-  
bi in illo peculium; stabilem potius rerum vsum habentes ibi, vbi datur sedes  
fixa, & proprietas. *Ex ipsa vita, inquit CICERO, discedimus, tanquam ex hospi-*  
*tio, non tanquam ex domo. Commorandi enim nobis natura diuersorium, non habitandi,*  
*dedit:* Quapropter homini, christiano imprimis, ne cui caducae rei nimis fidat,  
aut mentem illi ita adfigat, vt, se eâ carere nullo pacto posse, existimet, consul-  
tissimum est. Omnia potius ita tractet, amet, respiciat, vt possit, *DEO* iu-  
bente, sine insigni molestia, ab iis separari. Magni certe id est, & constantis ani-

animi: Non Stoica virtute haec, sed melioris, stabiliorisque vitae certissima  
 promissione, speque christiana nituntur. 2 Cor. V. 1, seqq. Philip. III. 20. In di-  
 uersorio enim heic degimus, peregre viuimus, sedem fixam habituri in coelesti  
 patria. 2 Cor. V. 6. 8. vbi expectamus bona aeterna, vicissitudini nulli obnoxia,  
 conditionemque status felicissimi semper perduraturam. Apoc. VII. 16. 17. Si-  
 quidem ergo haec vita, ceu aliquod *interim* spectanda est; animum habeamus  
 oportet, circa huius vitae bona moderatum, & quantum fieri potest, indiffe-  
 rentem. Hoc ipsum nobis commendat D. Apostolus 1 Cor. VII. 29. 30. 31. *Re-  
 liquum est, inquit, fratres! ut etiam habentes uxores sint, quasi non habentes, & flen-  
 tes, quasi non flentes, gaudentes quoque, quasi non gaudentes, & ementes, quasi non  
 possidentes, utentes quoque mundo hoc, quasi non abutentes: Transiit namque habitus mun-  
 di huius!* Vt, quae speciatim ad textus sacri cohaerentiam spectant, & quae ad illam,  
 qua Apostolus ad Corinthios scribit, tempestatem singularem pertinent, hac vice praeter-  
 eam, apertum esse puto: Postulare DEum Opt. Max. a nobis omnibus, ut mentem  
 tempestiue ita formemus, & in exercenda animi nostri christiana moderatione, quo-  
 tidie sic laboremus, ut gaudium, in secundis, temperatum sit, quasi non gauderemus,  
 & luctus in aduersis, quasi non lugeremus. Gaudium enim in luctum, luctus item  
 in gaudium facile transit, prout vertit res nostras ille, qui fata nostra praestituit,  
 diesque nostros numerauit ab aeterno. Quidquid iucundi possidemus, eo tra-  
 ctemus adfectu, quasi illud non possideamus, sed habeamus mutuo, ad tem-  
 pus, & *interim!* Iucundum enim, si firmum & perpetuum esse, putamus, quando no-  
 bis illud eripitur, & sub manibus perit, cum mentis acerba aegritudine dimittimus.  
 Ecquid vero est, quod animi quietem sollicitet vehementius, DEumque in quo solo  
 debemus, ceu in summo bono, requiescere, laedat certius, nos tandem in moeroris  
 abyssum praecipitet profundius? Qui nihil, defixa nimis mente, desiderat, illi nihil  
 praecipui deesse videtur. Qui rem gratam considerat, quasi illam non habeat, illi e-  
 ius defectus non est tantopere molestus, ut omnem sibi felicitatem simul periisse, la-  
 mentetur. Vt reliqua autem dimittam, crediderim, inter difficillima in praxi, es-  
 se: quod coniuges, qui se invicem, in timore domini, diligunt, ordinati ad vnam  
 carnem Gen. II. 24., solamina, aegritudinesque huius vitae, aequo adfectu, inter  
 se dividentes, in hoc *interim* semet constitutos esse, putare, nec, nisi ea animi so-  
 brietate alter alterius consuetudine uti, animisque cohaerere debeant; ut quoti-  
 die, ad dimittendum, iubente DEO, alterum, sint parati, & *quasi coniugem non ha-  
 beant.* Durum hoc esse, animique veram requirere magnitudinem, dono DEI, e  
 verbo veritatis, acquirendam, fatebitur quiuis rei aequus arbiter, fonticamque  
 hanc vicissitudinem, expertus, qualis quoque sum ipse ego. Fida enim vitae so-  
 cia, vel fido socio, quid dulcius est? quid, in vitae aerumnis ferendis, vtilius? quum,  
 in ipso felicissimo integritatis statu, sapientissimum Numen de homine iudicet:  
*non esse illi bonum, solum esse. Gen. II. 18.* Qui plures annos genuino amore inter  
 se consueuere coniuges, eorum est vnum velut cor, vna quasi anima. Nec ullo,  
 in rebus temporalibus, bono, amati, vel amatae coniugis iactura facile compensatur.  
 DEus ipse, Prophetae Ezechieli uxorem ademturus, cap. XXIV. 16. hanc vocat:  
*Desiderium oculorum eius!* grauissimumque hoc ei injungit mandatum: *Non  
 planges, neque flebis, neque suborietur lacryma tua! mortuorum luctum non facies, cida-  
 rim tuam alliga super te, & calceos tuos pones in pedibus tuis, neque obteges barbam; & panem  
 virorum non comedes!* Haec quidem per actionem symbolicam, Prophetis, mandato  
 diuino, frequentem; ut populus Israel, occasione omissi externi, viduis consueti,  
 luctus, quid causae subesset, ab Ezechiele sciscitaret, acciperetque explicationem  
 comminatoriam v. 19. seqq. Verum, luctum ita continere, quam grave fuerit Pro-  
 phetae? conici haud difficulter poterit. Ipsum quoque Numen, humano Pro-  
 phetae adfectui moerorem tacitum pressumque, his verbis indulget v. 17. *geme!  
 file!* LVATHERVS ita: heimlich magstu säuffen: Eadem ratione summo V. T. sacer-  
 doti luctus quidem externi limites DEus ponit, nec ei idem, quod aliis consue-  
 tum erat, permittit; non tamen luctum internum, quin in certis casibus, ne ex-

ternum quidem omnem, prohibet. *Leuit. XXI. 1. seqq. 10. 11.* De luctu Hebraeorum legantur, qui rem ex instituto tractarunt; conf. tamen *Excell. Dn. PAVLI THEODORI CARPOVII, L. L. O. & Cateches. Professoris P. O. famigeratissimi, Collegae nostri aestumatissimi, Programma funebre: De Ferali Veterum Hebraeorum Epulo!* evulgatum in obitum Beatae, quondam Praenobilissimae Matronae: ANNÆ DOROTHEAE BOFFEN, relictæ B. Dn. Senatoris WALTH. STEINII, viduae. Conficitur ergo e superioribus, indulgentissimum in coelis Numen a nobis non quandam requirere *απαιτησιν*, simpliciter; & vt humanis adfectibus, quos ipse naturae nostrae indidit, omnino careamus; nec interdicare Christianum hominem omni, ex obitu dulcis coniugis, percipiendo sensu, animique luctu (qui certe ingenui amoris signum est) Sed hoc duntaxat postulare, vt, & laeti, & tristes nostri adfectus sint moderati, atque, ne evagentur, DEumque, nimia creaturae aestimatione, laedant, nosque de vera spiritus quiete deturbent, capistrati. Ad hanc adfectuum nostrorum, ususque rerum caducarum, moderationem obtinendam, post candidum, in summum bonum, quod solus DEus est, amorem, multum omnino confert meditatio: quod (vt ita loquar) *ad interim* duntaxat habeamus, quod carum habemus, quod *ad interim* heic ipsi viuamus, ex hoc statu mox auolantes, mox euocandi ad patriam, mox permutaturi ea, quae pereunt, cum iis, quae semper perdurant. Addo & hoc: quod christiani Coniuges, per mortem hinc separati, sibi, post breue tempus, reddantur in vita meliore, non terminanda, conueniantque in communi domo patris coelestis, *Jo. XIV. 2.* sociatis laudibus, gaudiisque illum celebraturi, sine fine. Qua quidem sub consideratione, eius boni, quod non perdidit, sed, ad breuem moram, dimisit, immodica deploratio homine christiano est prorsum indigna. conf. *1. Thess. IV. 13.*

Praemissis his meditatatis, candido Lectori insinuo illam, quam in optima, sibi bique merito dilectissima, Vxore, omnibus sui sexus virtutibus ornatissima Matrona Praenobilissima: CHRISTINA ELISABETH SPALDINGIA, beata morte, exeunte hoc anno, die 23. Decembris, sibi erepta, iacturam passus est *Vir plur. Reu. Ampliss. & Doctiss. Dn. IOANNES GEORGIUS LVGER, Philos. D. & apud Gustrouienses, Verbi Dni. Minister fidelissimus, ad templum parochiale Pastor Senior, per multos annos, longe meritissimus.* Eo potius, iustiusque dulcissimam Costam Vir Venerandus acerbè luget, quo verius, illam de se insigniter promeritam esse, ingenue fatetur. Immo etiam, quo magis, aduentante senio, consortio eius, & adiutorio suauissimo, indiguisse videtur. Durius Viri fatum, quis non cum ipso doleat, eique solamen diuinum, ad superandam, quae posset animum deicere, tristitiam, toto pectore precetur? Verum, itane & hic casus dat euctum: nos omnia, quae habemus, habere, non nisi *interim*, ipsosque in mundo viuere *interim*, meliora, firmiora, perpetua in alterius vitae statu sperantes? Ipsene *pl. Reu. Dn. Viduus*, hoc secum recolens, luctum pie moderabitur? cui non erat occultum, in praestantissima Coniuge non sibi esse bonum perdurabile, sed incertae possessionis, datum: quod forte ipse, vel ipsum, serius, citius, volente DEO, defereret. Nouit *Vir pietissimus* dudum, quod uxorem habentes sint, quasi non habentes. Moerori itaque non adeo se patietur immergi, vt animae, in DEO solo fixae, quietem deperdat: sed adfectum, licet iustissimum, tamen, quod calide precamur, iustis continebit limitibus; ut, cum DEO ferat, magno animo, quod ferendum imposuit, qui suos saepe acerbis tentat fatis, probatque, in bonum finem, Amor summus & essentialis. Vt autem beatae optimae Matronae, cui exequias honestissimas hodie parat relictus Dn. Viduus, promeritae laudis aliquod monumentum statuatur, eiusque cunctis bonis memoria commendetur, quidquid de honestissimo eius ortu, laudatissima vita, placida morte notari meretur, paucis percensebimus, Faciemus illud ex tenore eorum, quae a *pl. Reu. Dn. Viduo*, exacte communicata, accepimus.

Prae

Praenobilissima CHRISTINA ELISABETH SPALDINGIA, M. IOH. GEORG:  
LVGERI, suauissima coniux, nata est Gustrouiae, quae vrbs Vandalici principatus metropolis, & serenissimorum Ducum Mecklenburgicorum splendida sedes fuit, A. Christi MDCC die 1. Augusti. Parentes habuit inclutos fatisque celebres ob fidem in DEum, amorem erga proximum, & intemeratum, suis inseruendi, studium. Et, si natalium splendorem non inter minima diuina beneficia in terrestribus, numerandum esse, non male plerique sentiunt, hac quoque in parte felix censerit poterit. Siquidem vtraque gens, tum SPALDINGIORVM, tum KARNATZIORVM, ex qua sanguinem traxit, multis nominibus celebratur. De Spaldingiana adseruatur in scriniis familiae authenticum Nobilitatis testimonium, quod generosissimo DN. IOHANNI SPALDINGIO, *Sacr. reg. Maj. Sueciae Praesidi Gothoburgensi splendidissimo*, fide regia fuit impertitum, per ALEXANDRVM WED-DEVRNE von Blacnese, equestri dignitate fulgidum & Curiae Taodanensis (des Deidenischen Rathhauses) Secretarium fidelissimum, & datum Taodani, in regno Scotiae, d. 6. Febr. im Jahr des Menschlichen Hevls, eintausend, sechshundert, sieben und sechzig, der Regierung des Durchlauchtigsten Caroli des andern, Königs in Großbrittannien, Frankreich, und Irland, und des Beschützers des Glaubens, im Neunzehenden Quod exscribere iam non vacat, ne vanae ostentationis suspicio apud nonnullos oriatur. *Parens* Defunctae fuit Vir Praenobilissimus & Prudentissimus Dn. THOMAS SPALDINGVS, *Senator & Camerarius* Ciuitatis Gustrouiensis meritisissimus, aetate & meritis grauis, ante biennium & sex menses, beate defunctus cum magno suorum desiderio.

*Mater* in viuis adhuc, per DEI gratiam superstes, virtutum omnigenarum exemplar, est Praenobilissima Dn. MARIA KARNATZIA; quae luctuosum, & inopinatum abitum filiae obsequentissimae, in extrema sua senectute, mille lacrymis deplorat.

*Auus paternus* Vir fuit Nobilissimus & Amplissimus, Dn. IOHANNES SPALDING, Consul Ciuitatis Plauiensis, in confinio Marchiae Brandenburgicae, meritisissimus.

*Auia paterna* Matrona honoratissima: DOROTHEA GVNNIBERTIA, filia plur. reuer. doctissimique Dn. PETRI GVNNIBERTI, Pastoris, primo Burghagiensis, dein Beuthenensis, longe meritisissimi.

*Proauus paternus* extitit Prudentissimus ciuitatis Plauiensis Senator, Dn. ANDREAS SPALDING, frater germanus Generosissimi, supra nominati, DN. IOHANNIS SPALDINGII, S. R. Mai. Suecicae Praesidis Gothoburgensis Splendidissimi, utpote qui antiquum natalium splendorem, & generosam SPALDINGIANAE gentis, in regno Scotiae, nobilitatem, fide publica, ad externos quoque dimanare fecit.

*Proauia Paterna* Vxor pientissima CATHARINA FRANCKIA.

*Abauus Paternus* celebratur: Generosissimus Dn. IVRGEN SPALDING, Hereditarius in *Milbas*, in regno Scotiae.

*Abauia Paterna*: Generosissima Domina HELENA de OGELVY, summo genere nata.

*Atavus Paternus*: Generosissimus Dn. IVRGEN SPALDING, Gubernator in *Grainfing*, in Comitatu Scotiae *Airle*.

*Atavia Paterna* Generosissima ISABELLA de OGELVY, filia eminentissimi Gubernatoris in *Cloua*, N. de OGELVY, quae neptis extitit Generosissimi Dn. WILHELMI de OGELVY, Hereditarii in *Rilur*; & ELISABETAE FORBVS, filiae gubernatoris in *Brüsthon*.

*Lineae maternae* decora atque maiores belli tricennalis, elapso seculo, nostras quoque oras infeliciter vastantis, dura iniquitas nobis inuidit, quippe quae monum-

B

numen-

numenta familiarum scriptis consignata, imo plerosque etiam annales ecclesiarum abstulit, ut vix ad aliquot gradus liceat adscendere. Celeberrimas tamen inter familias adhuc hodie fulget familia perantiqua KARNATZIORVM, suaque sibi vindicat splendidissima nomina, quae recensere, huius non est loci.

*Avis* itaque Beatae nostrae *maternus*, fuit Vir Praenobilissimus & Amplissimus DN. IOHANNES KARNATZIVS, Senator vrbis Gustrouiensis meritissimus, mercator splendidissimus, inque eo potissimum felicissimus quod gentem suam longe lateque, per prolem optime educatam, connubiisque laetioribus elocatam, tum in nostra prouincia, tum in exteris quoque oris, diuinis auspiciis, dilatauerit, & adhuc magis quotidie dilatandam, reliquerit.

*Auia materna* Vxor piissima: ANNA SCHVLTZEN, beati IOHANNIS SCHVLTZEN, mercatoris Gustrouiensis fulgidissimi, filia.

*Proauus maternus* extitit Dn. CLAVS RUMMEL, Ciuis primarius & mercator in Goldberg, qui, bellicos propter tumultus, Gustrouiam concessit, ibique sedem fortunarum fixit.

*Proauia materna*: Virtuofissima CATHARINA RUMMEL.

*Abauus maternus* numeratur Dn. PASCHEN RUMMEL, Ciuis primarius & mercator Goldbergensis.

*Abauia materna*: virtuosissima MARGARETA RUMMEL. Ex qua maiorum, quantum licuit, recensione, honestissima nascendi conditio satis iam liquet.

In deliciis optimorum parentum cum a prima natiuitate, ob indicia bonae mentis, haberetur, fidelissimam in sacris, institutionem non tam memoria comprehendit, quam vita pientissima expressit; nec minus oeconomiae probe & eleganter, sine tamen ambitu, regendae rationes, ab incomparabili matre sibi familiares reddidit; ita, ut ab omnibus amore digna iudicaretur. Plures eam coniugem ambierunt; sed, diuino nutu, id felicitatis obtigit, Viro pl. Reu. Ampliff. & Doctissimo Dno M IOHANNI GEORGIO LUGERO, Pastori Gustrouensium parochiali longe meritissimo qui, captus morum suauitate, pudicitia, innocenti conuersatione, inprimis vero, non fucata pietate, istam thori casti sociam, debito modo, post deuotissimas ad DEum T. O. M., coniugiorum autorem, & statorem, preces, expetitam ab optimis parentibus obtinuit, vicinam demum anno, iuuenilis aetatis, decimo & sexto d. 18. Iunii A. C. MDCCXVI. In quo coniugio quoque Mater a summo Numine digna iudicata est, siquidem binam masculinam, & binam foemininam prolem, per vices sibi succedentem, faustis omnibus, fuit enixa.

1. Filium siquidem primogenitum peperit, d. 2. Sept. A. MDCCXVIII. THOMAM CHRISTOPHORVM, *Sacrosanctae Theologiae Baccalaureum, Philosophiae Magistrum, & ecclesiae cathedralis Buzouiensis Pastorem, ab anno MDCCXXXI. optime merentem*, qui felici connubio sibi adscivit, anno sequenti, morum elegantia & virtutum decoribus insignem, ANNAM SOPHIAM SPALDINGIAM, Viri Praenobilissimi & Prudentiss. Dn. GEOGII SPALDINGII, Senatoris Gustrou. meritiss. filiam secundo-genitam. Quod ipsum Deus multa felicitate beare dignetur coniugium.

2. *Secuta est*, Filia primogenita d. 23. Nov. A. MDCCXX. MARIA ELISABETH, quae, divina sic ferente gubernatione, coniugali foedere iuncta est cum Viro nobilissimo ac spectatissimo, Dn. IOHANNE FRIDERICO RUMMEL, mercatore solertissimo, d. 1. Maji, A. MDCCXXXIII, bellulamque neptem beate Defunctae amplexibus obtulit, anno praeterito d. 1. Februarii, idem cum matre nomen, ex baptismo, nactam; et nunc, cum partui vicina sit, destituta materna ope, sublevatione, solatio, infinitas lacrimas merito profundit, cui Deus sit solamini, & auxilio:

Exce-

3. Excepit hanc Filius secundo genitus: JOHANNES GEORGIVS, d. 2. Maji A. MDCCXXIII, quem sacris studiis deuotum, primo Academia nostra Rostochiensis, per tres annos & dimidium, gnaviter enutrivit & d. 2. April A. MDCCXLIII, honoribus supremis philosophicis auctum, dimisit. Qui statim Saxonicas musas DEO iuuante inuisens, IENAM potissimum sibi delegit, ibique sesquianno exaeto, salutatis quoque & perlustratis aliis Academiis *Zipsiensi, Halensi, Erfurten- si, Erlangensi, Gættingensi*, ante paucas septimanas, itinere literario absoluto, amplexibus Opt. parentum & amicorum cum gaudio redditus, nunc orbis amantissima matre, funus ipsius luctuosum & praematurum obsequiose deplorat. Moderetur summum Numen & huius Filii fata, in Ecclesiae olim commodum, & Ven. Dn. Parentis gaudium certissimum,

4. Tandem successit Filia secundogenita: SOPHIA MARGARETA, d. 15. Martii, A. MDCCXXIX, quae in timore Domini educata, haecenus, sub ductu matris suavisimae, profectus in arte familiam regendi, egregios acquisiuit, inque lethali morbo, filiam obsequentissimam sese praestitit, & benedictionem a pie defuncta matre, iuxta verbum DEI, acceptam, inimis animae visceribus retinet, atque, ad mandatum prouidissimae matris, adstrictissimo, curisque muneris sui fat ardui, distracto, Parenti, filialem operam exhibitura, oeconomiamque rectora, diuinam prouidentiam certissime experietur, nunc vero singultibus atque fletibus, ob irreparabile suum, quod ex morte matris sentit, damnum, semi-enecta videtur. Viuat, post fata, in illa Mater: Sitque fulcimen pio Parenti in prouectiore eius aetate:

Vitam B. defunctae quod attinet bene transactam, ad testimonia totius Ciuitatis, familiae, domesticorum, intrepide prouocare licet. Sincere DEum coluit, verbum diuinum, sigilla gratiae, conuentus sacros, diligenter visitatos, ad extremum vsque morbum, impense amavit, praecibusque ac canticis ecclesiasticis domi dedita, nemini grauis, omnibus amabilis extitit; concordiam vero & pacem ita coluit, vt singulare exemplum, quod alii imitandum sumere possent, merito celebretur. Pro fide coniugali, quam Viduo nunc penitus prostrato atque derelicto, per XXXIX. annos cum dimidio, diligentissime praestitit, Mariti infirmitatem corporis, ex infinita fere laborum sacrorum, per XXXII. paene annos, diuina gratia adiuuante, exantlatorum, attriti, atque ruinam quotidie minitantis, tanquam propriam habuit, & blandis leuaminibus, aliisque quocunque modo possibilibus modis, deliniuit, inque ipso lethali morbo, cum de propria corporis sui salute cogitare debuisset, curam mariti sui habendam, diligenter praecepit. Retribuat ipsi DEus omnia, pl. Reu. marito suo, qui eam tanquam Diuinum donum gratisime semper habuit, & tenerrimo amore profecutus est, exhibita beneficia, animamque, exuuiis corporeis beate exutam, infinitis coelestis gloriae ac voluptatis angelicae bonis exhilaret, donec ipsa marito, & maritus ipsi, post decertata mundi huius mali certamina, gloriose reddatur.

Cum robusta alioquin corporis constitutione valeret, ex eo tempore, quo maritus graui vertigine d. 2. Sept. A. MDCCXXXVI, in suggestu sacro, comprehensus, exinde per scalas decideret, & semianimis domum duceretur, male coepit habere, ob solitudinem animi, qua anxia de salute & conseruatione mariti, detinebatur. Dein, quotannis fere catharrhis in brachio dextro, ac sinistro, vexata, liberioris aëris inclementiae subducere se, necessum habuit. Ante biennium respirationem sensit difficiliorem, & grauiore tussi macerata, ingentem vim viscofae & pituitosae materiae, media nocte eiecit, vt pro apostemate pectorali morbus fuerit agnitus a celeberrimis & experientissimis Medicis, τῶ πάλιν Dn. JOH. GEORG. BARNSTORFIO *Buzouienfi Archiatro, & Consiliario aulico Serenissimae*  
DO.



DOMINAE DVCIS Mecklenburgicae regnantis Viduae, & Excellentissimo, atque Experientissimo Domini IUSTO PETRO HABERKORNIO, Medicinae D. & Practico Gustrouienfi felicissimo. Restituta tamen fuit aliquantisper, sed ab eo tempore nunquam penitus conualuit.

Die 14. mensis Decembris, honoris causa cum amicam visitaret domum, ibidem improvisa apoplexia fuit tacta, & semianimis in domum propriam transportata; linguae quidem usum paulisper recepit, sed sinistro latere sine sensu mansit; donec d. 23. eiusdem mensis die nono morbi, post mediam noctem, recidua, ut Medicis audit, praeter omnem expectationem, coorta, omnem spem vitae sufflaminaret.

Maritus e lectulo in superiore domus contignatione, excitatus, dum statim advolat, amplexu quidem tenerrimo abs eadem accipitur, sed linguae usu priuatam, non tamen intellectu destitutam, deprehendit. In tam subita mutatione Viduus iam moestissimus conuenientissimis ex scripturae sacrae dictis coniugem optimam instruit, fidem in DEVM confortat, CHRISTVM JESVM crucifixum, tanquam salutis ancoram, commonstrat & exponit; quae singula beata Coniux probe percipit, totamque fere cantionem ecclesiasticam: *O Jesu Christ meus Lebens licht*, usque ad verba: *Dein letztes Wort laß seyn mein Licht*, propositam & adplicatam deuote audit. Tum perquam reuerendus Dn. M. JOACH. HENR. BVRGMANNVS, ad idem templum parochiale Pastor merentissimus, Fautor & Amicus noster certissimus, e somno quoque excitatus, promptissime pariter adcurrit, & pro officii ratione, cum ea agit, uti ipsa VIRI humanissimi pastoralis relatio testatur, sequentibus adornata verbis:

TAMESTI iure meritoque dolemus, si quem cum diuite epulone, DEO prorsus neglecto, vitam in omni scelerum genere traducentem atque de eius clausula nunquam cogitantem celeri morte ad sempiterna transire videmus; non tamen aequae iustae nobis lugendi plangendique adsunt causae, si homines, DEVM per omnem vitam pie timentes atque ad ultima cottidie sese sollicite praeparantes, subitaneo forte casu suam finiunt vitam. Adceleratus hinc atque plane inexpectatus licet fuerit abitus beatae nostrae LVGERIAE, non tamen est, ut praeter modum lugeamus animumque despondeamus omnem. Namque ut a teneris DEVM CHRISTVMQVE probe didicerat; ita in summi Numinis nomine, quidquid demum erat, suscipiebat omne, ad eiusque gloriam omnia sua adtemperabat facta; peccatorum vero, quorum hinc inde ex infirmitate humana adhuc se sentiebat ream, sincere dolens atque in meritum seruatoris sui optima omni cum fiducia recumbens, quauis a DEO die quaerebat obtinebatque veniam. Ita viuens, erat, non nomine, sed re, discipula CHRISTI, ita officina Spiritus sancti, ita templum trinunius DEI, ita denique exemplum virtutum, probis omnibus imitandum. Non est, ut haec testibus confirmem, alioquin mihi non defuturis. Haberem eos in tota praeclara numerosaque gente, ex qua originem ducit; haberem in admodum reuerendo DN. MARITO Viduo, Domino, Collega atque Adfina meo multis nominibus colendo, quem nunquam sine elogio beatam memorare memini; haberem in utriusque sexus natis, spartam atque prouinciam suam, pro suo omnes rerum statu, egregie exornantibus, quibus sub matre tam proba succreuisse, olim, argumentum adhuc laudis diuinae praebet; haberem denique in reliquis ciuitatis nostrae incolis, quibus beata nostra suis egregiis haecenus praeluxit dotibus. Ea tantum subiungo, quae ego quidem ipse, cui animae suae curam commiserat, propitia veritate testari possum. Multis, quod non dissiteor, saepe premor anxietatibus, dum una ex parte, quae nostra, qui alius a sacris sumus, sunt officia, cogito: ex altera vero, mecum reputo, quam sibi viuendi licentiam exoptant modo non omnes. Hypocrisis, opus operatum, pelagianismus practicus regnant ferme vbiuis. Si haec intacta relinquimus, externa specie naturaeque ludibriis contenti, ut tum sumus egregii viri, ut tum nobis adulantur! at contra haec eamus audentius, detegamus imposturas naturae, gratiam

ziam mentientis, subciliores, debellemus carnem in ultimis effugiis, improbemus, quae laxior hominum conscientia, proba tantum coram hominibus videri cupiens, improbari recusat, Proh DEVM immortalem! quot non contradictiones, quot non insultus, quot machinationes experiemur? verum ita me angendi nunquam mihi, viuens, Beata nostra praebuit materiam. Quodsi alii, quibus fors lautior his in terris contingit, solis bonis terrestribus contenti, DEVM aeternaque aut nunquam aut raro cogitant, beata nostra ex aduerso, grato quidem animo summi Numinis depraedicabat clementiam, sibi suisque haud parce prospicientem, mire tamen etiam cauebat, ne in his cum suis requiesceret, probe intelligens, caduca hoc in orbe esse omnia, DEVMque largiri nobis minora, quo mens nostra aeterna illa maiora bona anhelet eo sollicitius. Ita ab initio, quo sacro officio admotus meae se credidit fidei, beatam nostram animatam deprehendi; ita etiam per subsequuta tempora eam expertus sum. Verum enim vero annus nunc est, & quod excurrit, ex quo egregiam hanc in ea mentem non parum confirmavit altissimum Numen. Insolentes eo tempore beata nostra circa praecordia sentiebat anxietates, quae diu toleratae, tandemque fere intolerabiles cum vomitu, ulcerosam e faucibus materiam protrudente, denique desinebant quidem, ast etiam cotidianum ad mortem sese praeparandi relinquebant argumentum. Ab hoc ergo tempore beata nostra, coelo totam suam dicans mentem, quae sub coelo fiunt, parum curabat; ex iis quae in aliis euenisse recordabatur, constituere idque prudenter, malum semel superatum recurrere, atque tempore non expectato fauces occludere posse, olim non occlusas, sicque suis, quibus tenerissimo adhaerebat adfectu licet se tegens, ne praematuram illis moeroris suppeditaret occasionem, ad beatam atque repentimam, quavis die, se componebat *ωαλοσι*. Hoc modo annum, ut memoravi, & quod supra est, transiit piensissima LVGERIA, experiens, saepe non accidere in anno, quae timentur in puncto: nunc demum, sic per annum bene praeparata, a DEO ex amplexibus nostris avocatur; qui ergo nobis de salute illius non sit sperandum quam optime? Atque in hoc me non parum confirmant ultimae pie nostrae denatae horae. Principium noui morbi, fateor, erat subitaneum: Sed quam grauis & vehemens quoque nouus hic erat adfectus, non tamen statim beatam nostram suffocare debuit. Remittebat potius post diem primus impetus, & quamuis non simul plenus mentis usus rediret, verbo tamen euangelii, aliis neglectis, mire attendebat. Quod ut eo tempore non sine grato animi sensu animaduvertebam; ita ultima nocte ad beatam nostram iterum aduocatus, cognoui euidenti. Redierat paroxysmus longe vehementior, atque ut corporis, ita animae praesertim vires ita debilitarat, ut quilibet instantem mortem praesumere deberet. Ego ergo beatam adcedo, meritum illi CHRISTI in memoriam reuoco, precibus praeeo. Videbatur principio, beatam, ut reliqua, sic & haec, non amplius percipere. Ego vero iusto, ego rogo, ut deficite loquela, signo dato me certum reddat, quod me intelligat. Ecce aperit oculos, dumque in orando pergo & forte verba illa: *Wohlan so will ich mich an me nem Jesu halten*, i. e. ipsi commendo, dextram eleuat manum, cordi suo adplicat imponitque, significatura hanc illius esse mentem. Quantum hoc ad aspectu recreatus fuerim, praesertim cum nondum quadrante horae elapso, sensuum mentisque usus plane desineret, verbis exprimere nequeo: Quam iuste vero etiam ex eo de nostra pie defuncta optime speremus, nemo non intelligit. Quiescat ergo in pace! DEVS vero, qui est DEVS omnis solaminis, integram, obitum beatae Nostrae lugentem familiam coelesti suo erigat solatio, atque praesertim, si quid vota valent, admodum reuerendo DN. VIDVO sua resciente adsit gratia, annisque eius addat annos beatae coniugis, quos viuendo non expleuit. Hoc est, quod habeo in votis.

Morbi autem historicam recensionem supra laudatus famigeratissimus Medicus, Experientissimus Dominus Doctor HABERKORNIVS paucis ita delineauit.


Morbus, qui B. N. inter vivos eripuit, Insultus apoplecticus recurrens dici potest. Nam, cum die 14. Decembr. ad visendos Amicos, aeri non adeo suauis, flantibus nempe Ventis austeris, cum magna intermixta niue, se exponeret, ex improviso ab Insultu apoplectico corripitur, cum abolitione sensuum, & loquela latusque sinistrum paralytice afficiebatur. Adhibita statim Venaesectioe larga, tum sensus, tum loquela redibant, remanente tamen diuti lateris Paralyfi. Exhibita inde remedia pharmaceutica futurae restitutionis spem optimam promiserunt, dum Intellectus permaneret saluus, loquela intellectu perciperetur, pedem

dem iterum sinistrum extendere, retrahereque posset aegra, & non, nisi de capitis doloribus, conquereretur. Ast praeter omnem opinionem insultus apoplecticus tanta cum saeuitia, die vigesimo tertio Decembr. hora tertia matutina, recurrit, vt non solum B. N. omnibus sensibus, sed & in summam Reuerendissimi Mariti, totiusque Familiae honoratissimae moestitiam, vita priuaret.

Ita ergo, inter preces, & suspiria adstantium, per sacerdotalem benedictionem, tum ab optimo Dn. Seniore Ministerii, Viro summe Reu. Dn. Past. HAHNIO, tum ab aestumatisimo Domino Confessionario, quem & ipsa sincere coluit, suo Sospitatori commendata, animam eidem reddidit fidelissime, hora VIII. vespertina dicti diei XXIII. Decembris. Compleuit laudatissimae aetatis annos XLV. menses IV. septimanas III. dies II. Maneat eius memoria in benedictione! quiescatque denatum corpus placide in suo dormitorio, vsque ad diem gloriose *παλιγγενεσίας*! Lugentes vero, pl. Reu. Dn. Viduum, Filios, Filias, coeterosque sanguinis nexu iunctos, suo DEUS subleuet solamine, ac relictum imprimis Dn. Viduum sua confortet gratia, diuque superstitem esse iubeat, in Ecclesiae salutem, suaeque familiae splendorem gratissimum: Faxit autem DEUS, vt cuncti hanc vitam, ceu aliquod *interim* spectemus, firmusque adsiduo memores eius Apostoli: *Hebr. XIII. 14 Non habemus hic manentem Ciuitatem, sed futuram quaerimus!*


P. P. SVB SIGILLO RECTORALI!

d. vii. Ianuar. cis 13 CCXLVI.







*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



LBMV Schwerin 33  
000 184 241





obilissima CHRISTINA ELISABETH SPALDINGIA, M. IOH. GEORG:  
 suauissima coniux, nata est Gustrouiae, quae vrbs Vandalici principa-  
 polis, & serenissimorum Ducum Mecklenburgicorum splendida fedes  
 Christi MDCC die 1. Augusti. Parentes habuit inclutos satisque cele-  
 em in DEum, amorem erga proximum, & intemeratum, suis inferui-  
 um. Et, si natalium splendorem non inter minima diuina beneficia  
 bus, numerandum esse, non male plerique sentiunt, hac quoque in par-  
 nseri poterit. Siquidem vtraque gens, tum SPALDINGIORVM, tum  
 ZIORVM, ex qua sanguinem traxit, multis nominibus celebratur. De  
 a adseruatur in scriniis familiae authenticum Nobilitatis testimonium,  
 erofissimo DN. IOHANNI SPALDINGIO, *Sacr. reg. Maj. Sueciae Praefidi*  
*si splendidissimo*, fide regia fuit impertitum, per ALEXANDRVM WED-  
 E von Blacnese, equestri dignitate fulgidum & Curiae Taodanensis (des  
 en Rathhauses) Secretarium fidelissimum, & datum Taodani, in regno  
 6. Febr. im Jahr des Menschlichen Heyls, eintausend sechshundert, sieben  
 der Regierung des Durchlauchtigsten Caroli des andern, Königs in Groß-  
 Frankreich und Irland, und des Beschützers des Glaubens, im Neunze-  
 ere iam non vacat, ne vanae ostentationis suspicio apud  
 irens Defunctae fuit Vir Praenobilissimus & Prudentissimus  
 INGIVS, *Senator & Camerarius* Ciuitatis Gustrouiensis me-  
 eritis grauis, ante biennium & sex menses, beate defunctus  
 fiderio.  
 uc, per DEI gratiam superstes, virtutum omnigenarum ex-  
 ma Dn. MARIA KARNATZIA; quae luctuofum, & inopina-  
 quentissimae, in extrema sua senectute, mille lacrymis de-

fuit Nobilissimus & Amplissimus, Dn. IOHANNES SPAL-  
 s Plauiensis, in confinio Marchiae Brandenburgicae, meri-  
 ona honoratissima: DOROTHEA GVNNIBERTIA, filia plur.  
 Dn. PETRI GVNNIBERTI, Pastoris, primo Burghagiensis,  
 ge meritissimi.  
 extitit Prudentissimus ciuitatis Plauiensis Senator, Dn. AN-  
 rater germanus Generosissimi, supra nominati, DN. IOHAN-  
 R. Mai. Suecicae Praefidis Gothoburgensis Splendidissimi, vt-  
 talium splendorem, & generosam SPALDINGIANAE gentis,  
 ilitatem, fide publica, ad externos quoque dimanare fecit.  
 xor pientissima CATHARINA FRANCKIA.  
 elebratur: Generosissimus Dn. IVRGEN SPALDING, Here-  
 gno Scotiae.  
 enerosissima Domina HELENA de OGELVY, summo ge-  
 enerosissimus Dn. IVRGEN SPALDING, Gubernator in *Grain-*  
*ae Airle*.  
 enerosissima ISABELLA de OGELVY, filia eminentissimi  
 N. de OGELVY, quae neptis extitit Generosissimi Dn.  
 VY, Hereditarii in *Risur*; & ELISABETAE FORBVS, filiae  
 on.  
 ecora atque maiores belli tricennalis, elapso seculo, nostras  
 r va stantis, dura iniquitas nobis inuidit, quippe quae mo-  
 numen-

